EXERCITATIONVM PLAVTINARVM

SPECIMEN

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

SCRIPSIT

ERNESTVS BOECKEL
DR. PHIL.

CARLSRVHE
TYPIS EXPRESSIT G. BRAUN
MDCCCLXXII.

Truculenti Plautinae quos infra tractavi locos casu accidit, ut prima scribendi occasione oblata mihi aut explicandos aut emendandos eligerem. Namque huius fabulae, quae inde a Camerarii et Acidalii temporibus omnium quae exstant vel corruptissima est iudicata, a. 1868 Andreae Spengelii recensione cum Studemundi apparatu critico edita certum iudicandi et corrigendi nacti sumus fundamentum: quem tum librum accuratius perlegi quaeque mihi aut in interpretandis poetae verbis aut in sanandis codicum corruptelis editor minus recte egisse videretur adnotavi. Ita factum est, ut de universae fabulae corruptelis, lacunis, interpolationibus quaestiones difficiliores, quibus minime parem me putavi, omitterem et potius de aliquot locis aut explicandis aut emendandis hoc primo specimine exponerem. Atque cum plurimis de locis, quae est pessima huius comoediae condicio, exceptis sex illis quae hodieque servantur Ambrosiani foliis, admodum incertum sit iudicium, ego potissimum id spectavi, ut quantum possem consuetudinis Plautinae eam quam Ritschelius Praef. Mil. p. XXI postulat rationem haberem indeque probandi et refellendi peterem argumenta. Plus semel factum est, ut non novas adferrem emendationes, sed aliorum lectiones contra novissimum editorem defenderem; quod non inutile duxi, si accuratius et certioribus argumentis illorum causam agere possem.

Unum addo me in citandis Aulularíae, Casinae, Cistellariae, Epidici, Poenuli locis usum esse altera Parei editione anno 1619 edita.

Trucul. II, 4, 10.

Postquam Diniarchus Phronesium salvere iussit, sequitur hoc inter eos colloquium:

PH. Vbi cenabis? DI. Vbi tu iusseris.
PH. Hic: me lubente facies. DI. Edepol me magis.

Ad quae verba Spengelius adnotat: «Iam Diniarchus in lecto cum Phronesio accumbit. Nam parata est cena Phronesio ex balneo exeunti. Eodem modo in scena cenatur et bibitur Most. I, 4; Pers. V, 2.» Addere potuit Stichi V, 4. Mihi vero iterum atque iterum scaenam perlegenti persuadere non potui viros doctos recte hoc loco de convivio cogitasse. Omnium qui supra commemorati sunt locorum longe est alia ratio: non solum ex iis, quae in quoque loco antecedunt, planissimum est, quo modo sit res intellegenda, sed etiam convivii apparatus diserte enarrantur; in Most. vv. 295. 308. 309; in Pers. vv. 758 sq. 765. 768 sq.; in Stich. vv. 654. 662 sq. 768 sq., ita ut intellegamus et causam convivii et singulas res ad comissationem adhibitas: plana atque aperta res ante oculos nostros agitur.

Contra hoc loco omnia id genus desidero: non videmus, cur Phronesium hic ante aedis cenam paraverit; nihil legimus de accumbendo (Most. 308. Pers. 768. Stich. 750.), nihil de aqua manibus infusa (Pers. 769. Most. 308.), nihil de mensa apposita (Pers. 769. Most. 308.), nihil sermonum, quales in initio convivii solent fieri: ex solis Diniarchi verbis convivium esse concluserunt interpretes. Hoc quoque eos fugit: non apte Phronesium, quae non multo post militem dicat adfuturum (II, 4, 57), nunc cum alio amatore ante aedis cenare. Ni fallor, accedit alia causa, quae pertinet ad rem scaenicam ipsam: considerandum est enim in Mostellariae, Persae, Stichi locis optime poetam comicum spectatoribus proponere eius modi res, quippe in quibus ars eius egregie possit

elucere: nostro vero loco non potest perspici, quid fuerit causae, cur duos amantes in scaena convivium agentes faceret poeta. Sed nunc non de iis, quae facere necesse erat poetam, sed quae fecerit agimus. Dixerit quis in initio scaenae aliquot versus excidisse: at nullum lacunae vestigium apparet.

Mihi quidem, si recte intellego hoc loco Plauti dicendi rationem atque peculiarem eius artem comicam, omnia quae Diniarchus dicit ita ab eo dicta videntur, ut se in convivio esse tantum modo fingat. Quod non videtur esse alienum natura poetae nostri; comparari potest primum ea quae mox legitur locutio paene proverbialis facta «aspersisti aquam», quae redit Bacch. 247; item ficta loquitur Pseudolus Pseud. 35 sq.: «Tuam amicam video — eccam in tabellis porrectam: in cera cubat.» Simili modo eiusdem fabulae v. 326 eqs. Calidorus Pseudolum iubet arcessere «hostias victumas lanios», ut Ballioni ut summo Iovi sacrificet. Neque alia res est hoc loco: Diniarchus benigne a Phronesio ad cenam invitatus blande infit: «Nempe tu eris hodie mecum, mea Phronesium?» — scilicet ratus eandem se quam ante apud Phronesium gratiam habere; tum illa, militis adventus memor (minime, ut vult Spengelius, se aegram esse simulans): «Vellem si fieri posset». (Sic A, cuius hoc loco satis est memorabilis a Palatinorum scriptura diversitas.) Diniarchus, cui iam gratissima cenae festivae cum amica imago obversabatur, his verbis ad verum rei statum revocatus indignabundus soleas petit, mensam auferri iubet, pro quo dicere potuit: «nihil iam moror cenam tuam». Neque aliter cetera intellegenda sunt: Phronesium primo, quid ille sibi velit, ignorans, cum etiam manibus pedibusque iram significare Diniarchum sit consentaneum et abire velle videatur, admirata dicit: «Amabo, sanun' es?» Ille iam paululum mitigatus accuratius rem explicat: «Non edepol bibere possum» eqs. Phronesium eum placare studet: «Mane,

aliquid fiet: ne abi», quae verba pertinent ad v. 12. Et placatur Diniarchus verbisque «deme soleas, cedo bibam» ad ea quae ante dixerat respiciens se esse mansurum profitetur. Quae omnia tam celeriter atque tanta sermonis actionisque properatione transcurrunt, ut re vera convivium in scaena fuisse omnino necesse sit negare.

I, 2, 33.

Sed tandem eloquere, quis is homost, Astaphium?
novos amator?

Hanc Ambrosiani scripturam Spengelius ita mutavit, ut extrema verba «novos amator», quae in omnibus codicibus Diniarcho continuantur, Astaphio tribueret. Id, quod ei erat offensioni, verba «novos amator» sine interrogationis particula esse posita. non est tale, quod offendat. Quamquam enim adhuc desideratur accurata de interrogationibus apud Plautum disputatio, tamen ex iis quae Holtzius (Syntax. prisc. scr. lat. II, 237 ss.) congessit exemplis perspici potest optime hoc loco «novos amator» interrogantis esse posse. Ac mihi quidem exemplorum quae sunt adlata multitudinem perlustranti haec videntur posse colligi: plerumque particula interrogativa omittitur, si aut integra est sententia aut ex antecedentibus (velut «quid?» «quid tu?» «quid nunc?» «quid igitur?» «ain?» «quaeso» «obsecro» e. s.) aut adiectis vocabulis «iam, etiam, igitur, tandem» sententia minime est obscura, velut IV, 2, 12: AST. «Intus bolos dat — DI. Quid, amator novos quispiam?» Verum etiam breviora enuntiata atque abrupta enuntiatorum membra sine particula inveniuntur, ut hoc loco. Repperi quae comparari possent haec:

Pers. 227. Sin te amo?
Capt. 882. Venit?
Men. 539. Dicam curare?
Pseud. 513. At si non apstuleris? — Sed quid, si apstulero?

hoc vero de quo dicimus loco nulla potest esse dubitatio, quoniam antecedit integra interrogatio: «quis is homost, Astaphium?»

Neque hoc Truculenti editor satis consideravit, ea quam fecit mutatio quam parum respondeat totius loci sententiae: primum enim nullo modo convenit Plautino sermoni Astaphium post verba «novos amator» adversativa coniunctione omissa pergere «nimis otiosum te arbitror hominem esse». Deinde, quamvis sit impudens Astaphium, tamen novum erae amatorem esse non vult concedere, id quod maxime apparet ex iis quae v. 28 itineri suo praetendit. Itaque hoc quidem loco novare, praesertim contra optimi libri auctoritatem, noluerim.

Similis interrogandi formula videtur esse statuenda alio loco

II, 2, 2,

quo quidem loco in Ambrosiano sic legitur (incertis quae puncto signatae sunt litteris):

ego sum respic ad me quid ego nonne videor tibi

in B. autem:

ego sum respice ad me quid ego nonne ego videor te tibi

ubi primum putaverim utramque scripturam corruptam esse, deinde in Palatinis corrupta archetypi verba litterarum et vocabulorum repetitione aucta esse interpositis «ego» et «te». Inde sequitur in emendando hoc loco ab uno Ambrosiano esse proficiscendum. Studemundi collatione nondum edita Brixius (Epistula ad Andream Spengelium. Liegn. 1868, p. 5) coniecerat:

AST. Ego sum. STR. Quis ego? AST. Respice
ad me. STR. Video: novi: vae tibi.

(ratus Ambrosianum habere: «quid ego novi te video tibi») quod quidem, quamvis sit speciosum, nunc iam non potest sufficere.

Ac Spengelius quidem corruptelam sanare conatus est, cum in exitu versus «em tibi» coniceret: eam formulam

verberantium esse constat atque pluribus etiam locis redire, velut Curc. 195. Pers. 810. Asin. 431. Ter. Ad. 172. At (cf. Brix. l. c.) quo modo tam patientem factam esse procacem illam lenam inducamus in animum, quae statim v. 4 tam placide suum «salve» proferat?

Prima versus particula sana est: cum v. 1 Stratullax post scaenam nomen pultantis quaesivisset neque dum aperiret portam, Astaphium dixerat:

Ego sum, respice ad me,

i. e. aperi et me vide, (nam «respice» hoc sensu saepius apud Plautum usurpatur: Mil 361. Trin. 1068. Cas. II, 3, 18. Poen. I, 2, 196. Merc. 871. Most. 885. Capt. 834. 835. Pseud. 244. Stich. 330. alias.) Tum servus, dum verba «quid ego?» profert, ad quae verba optime Spengelius attulit Amphitruonis locum (1021 sq.), aperit ianuam atque Astaphium conspicit; illa ad verba eius quid respondet? nisi fallor:

Nota non videor tibi?

i. e. nunc, quoniam oculis tuis me conspicis, nonne me cognoscis? cf. Mil. 901: «qui tam pro nota nominat me». Curc. 280: «Date viam mihi noti ignoti». Stratullax vero, ut est homo rusticus et morosus, nihil ad Astaphii verba respondet, sed quoniam cognovit eam, increpat inclementer:

Quid tibi ad hasce accessio aedis — eqs.

Ea emendatio quam proxime mihi videtur ad mutilam Ambrosiani scripturam accedere. Nihil autem offensionis habet omissio copulae post «nota», si confers Poen. V, 2, 117: «iterum mihi videor gnatus». Ter. Phorm. 94: «numquam aeque — ac modo paupertas mihi onus visumst et miserum et grave». Iam vero interrogandi particulam omitti in eius modi sententiis haec arguunt exempla:

Men. 503. Non me novisti?
Epid. V, 1, 32. Non me nosti?
Mil. 428. non nos novisti?
Men. 294. nomen non nosti meum?

Men. 438. Non tu istas meretrices novisti ere?
— 302. Non scis, quis ego sim —?
— 408. Amph. 518. non ego te novi —?

II, 2, 15.

Advenisti huc nos tentatum cum exornatis ossibus?

Ita Spengelius scripsit: in BCD legitur «sistentatum», in A «te ostentatum», incerta TE syllaba. Spengelii coniectura, quae iam in Lambini editionibus legitur, id habet offensionis primum, quod de inlecebris amoris et eius modi rebus non usurpat Plautus «temptandi» verbum, sed

1. de rebus, quae accurate examinantur:

Aul. IV, 4, 20. (de pallio, quod subigitat Euclio) Tempta qua lubet.
Mil. 1336. Temptabam spiraret an non.

2. de eo, qui alterius sententiam exquirit vel aliquid ex eo elicere studet:

Aul. V, 17. animum tuum temptavi.
Stich. 126. Edepol vos lepide temptavi.
Truc. I, 1, 13. temptat benignusne an bonae frugi siet.
Merc. 222. tandem temptabit te.
Amph. 661. an ille me temptat sciens —?
Poen. III, 1, 54. Itane temptas an sciamus?

3. saepe inest notio molestiae:

Amph. 692. Temptas: iam dudum, modo.
Aul. III, 4, 3. temptat omnibus miserum modis.
Poen. V, 4, 52. Perge etiam temptare.

Ita illud verbum hoc loco haud bene usurpatum sit. Neque praetermittendum est alterum: codicum dico testimonium, in quibus — quod sciam — semper «temptare» scriptum extat (Bentl. ad Ter. Phorm. III, 3, 19 = 552. Ritschel. Prol. Trin. p. CIII. Fleckeisen. E. Crit. p. XI, cf. Corssen. Ueber Musspr. I^2, 122. Brambach. Die Neugestalt. d. l. O. 249.), velut testantur Mil. 1336 BCD, Stich. 126 ABCD, Merc. 222

BCD, Aul. IV, 4, 20 B Pareo auctore. Quod si ne in Ambrosiano quidem codice h. l. eius scripturae vestigium apparet — utcumque leguntur incertae litterae —, efficitur de «temptandi» verbo non amplius esse cogitandum.

Iam, quod attinet ad sententiam, aptius est, quod coniecit Kiesslingius in Iahn. ann. 97, 628: «advenisti huc te extentatum»: quamquam quod de alliteratione quam dicunt «extentatum — exornatis» profert, sane est levius, quam ut pro argumento possit esse; verum etiam quod putat, quoniam Most. v. 594 legatur: «venisti huc te extentatum?» (de quo vocabulo cf. Ritschel. Parerg. I, 502.), hic quoque necessario idem verbum reponendum esse, illud quidem veri specie non caret, tamen vereor, ne sit speciosius quam verius. Nam equidem videre nequeo, quid hic obstet scripturae Ambrosiani: «Advenisti huc te ostentatum»; «se ostentare» ut apud Ciceronem et alios legitur, ita ostentandi vocabulo Plautus quoque utitur:

Aul. II, 2, 18. altera manu fert lapidem, panem ostentat altera.

Cist. II, 1, 10. modo quod suasit, dissuadet: quod dissuasit, id ostentat.

Most. 287. quid opus est, quod suum esse nolit, id ei ultro ostentarier.

Iam cum dicatur Asin. 862: «verum hoc facto sese ostendit» (cf. Ter. Eun. 307. Hec. 544. 627), nulla est causa, cur non hic quoque «te ostentatum» legamus. Neque sensui obest id verbum: nam, ut arbitror, id potissimum in lena offendit servum rusticum, quod vetula et turpis pulchris vestimentis et «medicaminibus faciei» insolentissime sese iactat, i. e. «se ostentat»; nihil enim aliud ei in sequentibus obicit vv. 32 sq.

Supplementi loco addam non satis accurate Spengelium verba «cum exornatis ossibus» explicare: qui cum recte dicat: «haec non ad buccas purpurissatas refero», pergit: «sed ossa sua (h. e. se) exornavit veste suaso infecta».

At «ossa» simpliciter pro homine ipso usurpari non possunt. Sed nemo non videt «ossa» hoc loco cum contemptu dicta esse de Astaphio, quippe quae vetula et decrepita velut puella sese exornet; quem ad modum Capt. 135 Ergasilus de se ipso loquitur:

ossa atque pellis sum miser aegritudine,

vel quem ad modum est Aul. III, 6, 28 de agno:

quia ossa ac pellis totus est.

II, 2, 49.

Latere fit minor, qua is ad vos damnis permensust viam.

Sic scripsit Truculenti editor Ambrosianum secutus, qui ab ceteris codicibus et a Prisciano discrepans «damnis» exhibet. Hoc quidem loco, si sententiae sanitatem servaturi sumus, nullo modo optimi codicis scripturam retinebimus: omnino enim non intellegitur, quid sibi velit: «qua (i. e. per maceriam) is permensus est viam ad vos damnis». Quae sunt damna? Plautini sermonis consuetudo aliam significationem non admittit, nisi ut sit nimius sumptus, qua quidem significatione saepe apud Plautum occurrit vocabulum: quo modo vero Strabax damnis i. e. damnis factis, damnis implicitus sibi per maceriam viam fecit? ad damna pervenit, sed non damnis in amicae domum; ad quam aditum sibi parare nulla adfert damna, non enim muneribus opus est, sed ut damna faciat, intromittitur. Longe aliter sese habet ablativus his locis:

V, 58. stultus atque insanus damnis certant.
Bacch. 66. palaestram, ubi damnis desudascitur.

qui quidem loci minime sunt obscuri, sed ad hunc locum explicandum nihil valent. Qua re nisi demonstratur «damnis» posse significare «ad damna», redeundum est ad ceterorum librorum atque Prisciani scripturam. Genetivus optime quadrat, iungenda sunt «viam damni»;

via illa ad vos, ait servus, damni via est, i. e. quae ducit ad damnum. Neque eius modi locutio a Plauto est aliena; duo mihi praesto sunt loci huius simillimi:

Trin. 314. damni conciliabulum,

i. e. conciliabulum, ubi facile damno adfici possum.

Men. 988. ex hoc saltu damni.

Statim sequatur alius locus, qui eodem modo videtur contra librorum scripturam esse emendandus, quo in loco Ambrosianus cum Palatinis consentit. Neque ego novam adfero emendationem: nam quod ante hos tres annos conieci postea iam a Kiesslingio (l. c. p. 629) inventum esse intellexi; verum ad coniecturam accuratius comprobandam haec quae infra scripsi fortasse non nihil conferent. II, 2 postquam Stratullax abiit, Astaphium illum, quamvis sit violentus, sperat immutari posse v. 63:

blandimentis, hortamentis, ceteris meretriciis.

ad quae verba Spengelius in adnotatione: «male iungebatur hortamentis ceteris meretriciis, ut duae res intellegerentur, et blandimenta et cetera meretricia hortamenta. Immo tria sunt, et blandimenta et hortamenta et cetera meretricia. V. Bacch. I, 1, 7:

pol haud meretriciumst,

quo ipso loco «meretricium» pro adiectivo accipiendum est, non pro substantivi genetivo plurali.» Recte ille quidem reicit verborum distributionem, quae et in Lambini et in Parei editionibus legitur: nam «blandimentis, hortamentis ceteris meretriciis» non multo rectius dictum esset quam «Graeci et ceteri barbari». Neque hoc nemo videt, tribus membris ad orationis concinnitatem opus esse. Iam quid hoc est «ceteris meretriciis»? Fugit Spengelium, cum ad Bacchidum locum provocaret, illic «meretriciumst» esse praedicatum; tunc etiam citare poterat

Pseud. 289. Non lenoniumst.
Pers. 47. hoc meumst, ut faciam sedulo.
Trin. 123. Non istuc meumst.

Sed adiectivum aut pronomen si praedicati vicibus fungitur coniunctum cum copula, longe alia res est ac si coniunctum cum «ceteris» substantivi loco est habendum.

At, inquit, etiam dicitur «cetera bona, cetera mala», tum «cetera omnia» et quae sunt similia. Sed facile est observatu adiectiva numeralia, quale est «ceteri», tantum cum iis adiectivis neutrius generis coniungi, quae saepissime pro substantivis usurpantur et semper certa quadam significatione, ita ut dicere possis «cetera, multa, omnia bona s. mala», sed non alio sensu «huius hominis improbitas, perfidia, cetera mala», vel «huius urbis amoenitas, salubritas, cetera bona». Vt vero dicere licet «cetera bona, mala», ita non item licet «cetera imperatoria, militaria, civilia», quia neque simplex «imperatoria», neque «militaria» neque «civilia» est in usu: quamquam Kiesslingius l. c.: «die möglichkeit das adjectivum substantivisch zu fassen will ref. nicht leugnen». Accedit quod pessime sese excipiunt verba hoc modo: «blandimentis, hortamentis, ceteris meretriciis»: tam languide locutum esse nemo putabit Plautum, cuius innumeris locis egregia conspicitur ars vocabula conformandi et coniungendi, qua in re dignus est, qui vel cum Aristophane comparetur.

Quibus de causis cum certum sit corruptum esse versum, hunc in modum cum Kiesslingio restituendum arbitror:

blandimentis, hortamentis, inlecebris meretriciis.

Vbi postquam in «inlecebris» tres in initio litterae evanuerunt, facile quae nunc legitur in codicibus nasci poterat corruptela:

INLECEBRIS
INCELEBRIS (vetus corruptela)
CETE RIS

(«inlecebra», non «illecebra» legitur Men. 355 in B (incelebra CD), Truc. I, 2, 82 in A et Palatinis, Cas.

V, 2, 12 et Asin. 151, si ex Parei silentio licet concludere, in Palatinis, Bacch. 87 «inlecebrosius» in B.)

Non obstat coniecturae, quod — quantum sciam — Plautus «inlecebrae» vocabulo plerumque utitur de personis:

Truc. I, 2, 83. mala's atque eadem quae soles inlecebra.
Truc. IV, 2, 46. iam hercle tibi ego inlecebra ludos faciam clamore in via —,

si versus est sanus,

Asin. 151. eccam inlecebram exit tandem.
Cas. V, 2, 12. incelebram stupri.

Nam uno quidem loco aliter usurpat:

Men. 355. munditiës,
inlecebra animost ea amantum.

Denique quivis videt, si substantiva, quae antecedunt, comparaverit, addito inlecebris egregiam effici gradationem:

blandimentis, hortamentis, inlecebris meretriciis.

i. e. primum blanditur, ubi id vidit bene processisse, hortatur, ut introeat, denique malis artibus inretitum inlicit ad «damnum» faciendum.

II, 4, 75

in B ita legitur:

Sit facito quicquid ait uierit bona consulas,

quae Spengelius ita emendavit:

Ph. Sic facito: quicquid aderit, dona.
DI. Consulam.

sane facili mutatione neque, quod attinet ad Phronesii verba, sine veri specie. Sed in Diniarchi responso haereo: nam quod Spengelius de «consulendi» usu revocat ad Cistellariae et Trinummi locos et explicat: «Bene curabo et consulam, quae dona tibi mittantur, ut te digna sint», in hoc nescio an fallatur. Nam si recte perspectum habeo huius verbi absolute positi usum, semper dubitandi et deliberandi inest notio, ita ut nequaquam

idem sit quod «curare». Praesto autem mihi sunt haec exempla:

Trin. 572. quae res bene vortat. quid nunc? etiam consulis?
Mil. 219. Viden hostes tibi adesse tuoque tergo obsidium? consule.
Rud. 1036. dum concedo et consulo.
Mil. 197. dum ego mihi consilia in animum convoco, et dum consulo quid agam.
Pseud. 379. ut tu hinc porro quid agas consulas.
Cist. III, 1, 4. ut illud, quod tuam in rem bene conducat, consulam.

Iam hoc apertum est amatorem qui aiat «consulo» (sc. quid sim donaturus amicae) malum esse amatorem, multo vero deteriorem, qui aiat «consulam». Sed fac eum posse per se dicere: quo pacto potest, qui ante dixerit:

Lucri hercle videor facere mihi, voluptas mea,
Vbi quippiam me posces,

et:

Iam faxo hic aderit?

Fortasse verum invenietur ex iis, quae statim respondet Phronesium:

Ecastor munus te curaturum scio,
Vt quoius me non poeniteat:

hinc sequitur Diniarchum aliquid dixisse ad se excusandum, si non placiturum esset munus, aut ad commendandum laudandumve donum. Id si verum est, non dubito, quin recedendum sit ad eam emendationem quam iam diu ab aliis factam inveni: «boni consulas». «Boni consulere» enim constat significare «bonum iudicare», deinde «satis habere, contentum esse», velut Quintilianus in libri VI prooemii § 16: «boni autem consulere nostrum laborem vel propter hoc certum est». Cf. quae in lexicis citantur Ovid. ex Pont. III, 8, 24: «tu tamen haec, quaeso, consule missa boni.» Trist. IV, 1, 106: «tu quoque non melius, quam sunt mea tempora,

carmen, interdicta mihi consule Roma boni». Sed et antiquiores ita locutos esse testantur Quintilianus I, 6, 32 et Fest. pag. 41 Muell.: «consulas antiqui ponebant non tantum pro consilium petas et per contrarium, sed etiam pro iudices et statuas». Citat quidem Gellius N. A. X, 3, 17 ex Catonis oratione fragmentum, in quo haec sunt: «Nemo hoc rex ausus est facere: eane fieri bonis, bono genere gnatis, boni consulitis?» His opinor exemplis satis hoc loco confirmatur coniectura «boni consulas».

Ita autem si scribimus, etiam cetera quae scripsit Spengelius sunt mutanda: nam post Diniarchi verba «iam faxo hic aderit» Phronesium dicere posse «quidquid aderit, dona» nemo credet, quandoquidem «aderit» nihil aliud est nisi «tibi mittam, tibi donabo». Facillima autem mutatione ex librorum corruptela haec eruuntur:

A I TVIERIT
ATTV ERIT

et vocabulo «quidquid» transposito totus versus sic legitur:

PH. Sic facito.
DI. At tu quidquid erit, boni consulas.

Tum non opus est, ut ad languidam quae ante Spengelium legebatur scripturam «quidquid autem erit» recurramus: post «sic facito» in Diniarchi responso pronomine «tu» quam maxime opus est. «At» autem recte inferri ea quae Holtzius l. c. II, 344 sq. collegit ex Terentio exempla probant et hic Asinariae versus 464:

ME. . . . Sauream non novi.
LI. At nosce sane.

Brixius (Ep. p. 10) et qui ei adstipulatur Kiesslingius (l. c. p. 632) hoc modo voluerunt legi versum:

PH. Sic facito.
DI. Quidquid attulerit, boni consulas.

sed non video, qui tam abrupte Diniarchi verba possint

adiungi: certe, ut modo dixi, pronomine carere non possumus.

Statim in sequentibus dubito an v. 89 non recte verba poetae restituerit Spengelius hoc modo:

> Ego isti non munus mittam? iam modo ilico
> Iubebo ad istam quinque perferri minas.

nam «iam modo ilico» latinum esse nego. Adfert Spengelius Amphitruonis locum II, 2, 62 (692): sed prorsus diversa notione «iam dudum modo» illic usurpatum est. Dixerat Alcumena:

> Qui non abiisti ad legiones, ita uti dudum dixeras?

Amphitruo illud «dudum» non intellegit, quoniam re vera omnino non adfuerat, itaque quae sequuntur, facilia sunt intellectu:

> AM. Dudum? quam dudum istuc factumst?
> AL. Temptas, iam dudum, modo.
> AM. Qui istuc potis est fieri, quaeso, ut dicis: iam dudum modo?

ubi Amphitruo ludit vocabulo «dudum», quod Alcumena eadem fere significatione coniungit cum «modo», quo accuratius quid velit indicet. Nostro vero loco «iam modo» Spengelius «statim» significare contendit et Praenestinorum «tammodo» comparat, quod non debuit comparare. Etiam si «iam modo» cum «ilico» coniungimus, quod saltem facere debebat, non recte explicari potest formula.

Videtur autem «iam modo» ortum esse in CD ex ea quae est in B corruptela: «iammo»: latet autem in ea, nisi fallor, particula «immo», quam optime hic quadrare nemo negabit, qui consideraverit antecedentia:

> Ego isti non munus mittam?

In idem vocabulum iam incidisse cognovi C. F. W. Muellerum Plaut. Prosod. p. 312, cum quo etiam de hiatu vitando (p. 525) prorsus mihi convenit. Ceteris vero quae sit medela adhibenda, non tam pro certo ausim adfirmare, nisi hoc unum contenderim «ex hoc loco»

2

ferri non posse: quod non defendit Muellerus adlato Asin. v. 130:

nam [actutum] ex hoc loco
Ibo ego ad trisviros —,

siquidem «ex hoc loco ibo» propria significatione dictum est. Potest olim fuisse versus talis:

Ego isti non mittam munus? immo extempulo
Iubebo —,

ita ut «extempulo» supra scripto «ex hoc loco» expelleretur. Sed etiam «immo iam ilico», ut vult Muellerus l. c. p. 312, vel «immo ego ilico», quoniam «immo» saepe cum pronomine solet coniungi, probabiles sunt emendationes.

In sequentibus autem recte Studemundum suasisse «deferri» pro perferri ex his quae infra scripsi exemplis intellexi. Verbo «deferendi» Plautus omnibus qui mihi praesto fuerunt locis de re quadam mandata vel necessaria vel quae ad certum quendam locum aut hominem pertineat utitur; ita in primis de pecunia:

Truc. IV, 2, 26. iussi ei (sic Brix. l. c. p. 12) quinque deferri minas. (cf. 27).
Asin. 852. et ad amicam detulisse viginti argenti minas.
Truc. III, 1, 10. minas — huc in urbem detuli.
— V, 64. pecua ad hanc collo in crumina ego obligata defero.
Poen. III, 1, 56. trecentos Philippos — quos deferret huc ad lenonem. (cf. 5, 36.)
Pseud. 1242. obviam ultro ei deferam (viginti minas).
Merc. 703. em, quoi decem talenta dotis detuli.
Poen. I, 2, 133. Deferto ad me (nummos. cf. III, 4, 28.).
Trin. 955. quod me aurum deferre iussit ad gnatum suom.
Poen. I, 1, 46. ei dabitur aurum, ut ad lenonem deferat.
Epid. II, 2, 102. Opus est homine, qui illo argentum deferat pro fidicina.
Pseud. 260. quod tibi detuli et quod dedi —,

de palla Men. 173. 393. 426. 525. 561. 6Q1. 652. 689. Asin. 885; de anulo Mil. 800. 912. 1049; de spintere Men. 807; de urna Rud. 482; de frumento Pseud. 190.

Bacch. 1075. praedam — ad quaestorem deferam.

Aul. III, 2, 2. ad trisviros iam ego deferam nomen tuom.

de tabellis Mil. 131. Trin. 949.

Pers. 695. mandatae quae sunt volo deferre epistulas.

de puero Truc. II, 4, 54. IV, 3, 25; de puella Cist. I, 3, 21. III, 5; de Menaechmo ad medicum ferendo Men. 948. 952;

Amph. 701. e portu navis huc nos dormientis detulit.

«Perferre» autem significat aut «nuntiare»:

Amph. 216. haec ubi legati pertulere.

Capt. 343. qui tua quae tu iusseris mandata ita ut velis perferat.

ib. 377. patri meo ordine omnem rem illuc perferat.

aut «tolerare«:

Amph. 645. feram et perferam usque abitum eius.

Men. 726. quin vidua vivam quam istos mores perferam.

Capt. 743. breve spatiumst perferundi quae minitas mihi.

Vnus — quod quidem sciam — restat locus in quem non quadret illa definitio:

Rud. 372. vix hodie ad litus pertulit nos ventus exanimatas,

ubi comparato quem supra attuli Amphitruonis v. 701 haud scio an sit mutandum.

Etiam alio loco particula «immo» e librorum corruptela eruenda est, quem ad modum iam dudum fecerunt editores ante Spengelium. Qui cum III, 2, 28 sic scriberet:

STR. Eu edepol hominem nihili.
AST. Iamne autem ut soles?
STR. Quian «nihili» dico?
AST. I intro amabo: cedo manum.

nimis urbanum voluit esse servum rusticum, qui ad Astaphii admonitionem «Iamne ut soles?» non potest tam placide respondere «Quian nihili dico?» Neque vero ante blanda quae sequuntur Astaphii verba «I intro amabo: cedo manum» ille quidquam potest locutus esse nisi quod ancillae placeret: maxime autem placet, si

tacet. Qua re quid veri similius quam ut codicum scriptura «iamne» non sit repetita ex antecedenti versu, sed potius corrupta ex eo quod ante fuit «immo»?

STR. Immo nil dico.
AST. I intro amabo: cedo manum.

Si recte perspicio totum locum, Stratullax, qui cum de Strabace audisset, rursus in veterem castigandi morem delapsus erat, ab Astaphio admonitus intellegit nondum se omnem «truculentiam ex pectore amovisse» (v. Kiessling. l. c. p. 637.) satiusque sibi esse omnino non loqui: ita non sine levi quodam stomacho «Immo nil dico», quem facile ancilla mitiorem reddit: «I intro amabo: cedo manum».

Deinde eum locum, qui nunc Ambrosiani subsidio egregie est restitutus, II, 2, 11 malim hoc modo legere servato uno vocabulo, quod omisit Spengelius, omisso altero, quod ille servavit:

STR. Pergin male loqui mulier mihi?
AST. Quid tibi maledico?
STR. Quia enim me truncum lentum nominas.

nam multo facilius post «tibi» poterat inferri «ego», quod etiam in Ambrosiano legitur, quam «enim» post «Quia». «Quia enim» autem quam sit accommodatum sermoni Plautino, non est opus demonstrare: ex magna exemplorum quae Holtzius l. c. II, 357 collegit multitudine unum adferam, quod proxime accedat ad huius loci sententiam:

Pseud. 324 sq. B. Immo vin etiam te faciam ex laeto laetantem magis?
CA. Quid iam?
B. Quia enim non venalem iam habeo Phoenicium.

Denique tertio loco vulgatam lectionem, quam quis primus protulerit nescio, tuebor contra Spengelii coniecturam, quam refellere fortasse ad cognoscendam consuetudinem Plautinam non nihil intererit.

II, 4, 53 Spengelius Gepperti coniectura recepta ita scripsit:

PHR. Haec dat operam, circuit per familias,
Puerum investigat —

pro quibus libri exhibent «haec ut opera», quae sensu carent. Kiesslingius quoque l. c. p. 631 eam coniecturam reiecit, sed tantum his verbis: «bei Plautus scheint ein alleinstehendes dat operam im sinne von «gibt sich mühe, hilft» ohne den zusatz der sache oder person, für welche man sich Mühe gibt, oder sonst eine nähere bestimmung zu operam sehr selten zu sein. Im augenblick wüste ref. nur Cas. III, 5, 64 u. Merc. 620 anzuführen.»

At si sunt duo loci, non est quod hoc loco «dat operam» scribi vetemus. Sed illorum locorum longe est alia ratio. Res enim ita se habere mihi videtur. Vsitatissima apud Plautum formula est «operam dare alicui», saepe etiam occurrit «operam dare alicui rei». Iam si «operam dare» idem est quod «attendere», saepe omittitur dativus, velut his locis

Curc. 257. Narra..
CA. Operam ut det.
PA. Dabit.

Epid. I, 1, 22. te volo
percontari: operam da.

Rud. 121 sq. paucis percontarier
volo ego ex te.
DAE. Dabitur opera.

Asin. 649. Auscultate atque operam date et mea dicta devorate.

Rud. 647. Si das operam, eloquar.

Cas. V, 2, 5. operam date, dum mea facta itero.

Mil. 1158. date modo operam.

Men. 1110. Optume usque adhuc conveniunt signa. porro operam date.

(Cas. pr. 16. 22. Cist. 1, 3, 6. Capt. pr. 6. Mil. 98. Poen. pr. 58. Trin. pr. 5.)

Deinde «operam dare» «curandi» notione coniungitur primum cum enuntiatione condicionali aut finali:

Aul. II, 4, 5. si quo tu totum me ire vis, operam dabo.
Poen. III, 1, 42. Si quid tu placide otioseque agere vis,
operam damus.
Curc. 347. ut daret
operam, ut mulierem — abduceret.

tum cum dativo, cuius generis exempla non opus est omnia enumerare. Tantum ii loci sunt memorabiles, in quibus «operam dare» cum adiectivo aut adverbio coniungitur; plerumque enim etiam tum dativus additur:

Asin. 428. foro dedi operam adsiduam.
Poen. III, 6, 11. bonam dedistis advocati operam mihi.
Pers. 721. nam te sensi sedulo
mihi dare bonam operam.
Capt. 701. me huic dedisse operam malam.
Pers. 48. operam da hanc mihi fidelem.
Capt. 363. volt te novos erus operam dare
tuo veteri domino, quod is velit, fideliter.
Cist. I, 1, 37. ei rei nunc suam
operam usque adsiduo servos dat. IV, 2, 46?
Merc. 499. amice amico operam dedi.

Verum dativus omittitur his locis:

Rud. 849. is dedit operam optumam.
Mil. 1144. date operam adiutabilem.
Pers. 673. Edepol dedisti, virgo operam adiutabilem
probam et sapientem et sobriam.
Asin. 366. dixit sese operam promiscam dare.
Rud. 1182. Eamus [hinc] intro omnes, quando operam promiscam damus.

His quos modo memoravi quinque locis dativus omissus nihil habet offensionis, propterea quod et adiectivum est additum et ex antecedentibus satis apparet singulis locis, cui rei detur opera.

Denique septem restant exempla, quae «operam dandi» verbum et sine adiectivo et sine adverbio et sine dativo usurpatum exhibent. E quibus Truculenti IV, 2 v. 21

Sine vicissim qui dant operam ob id quod dant operam utier

in libris corruptissimus legitur («oblit quod dant operis» B) neque Camerarii coniectura, quam Spengelius recepit, videtur esse sanatus; qua re, quoniam nec ipse melius quid inveni, hunc locum omitto. Iam bis dicitur ventus «operam dare», quae ut est singularis locutio, quam nusquam alias me legere memini, ita ubi legitur quid sibi velit nulli est obscurum:

Mil. 1188. Nisi eat, te soluturum esse navim: ventum operam dare.

ib. 1317. Orant te ut eas: ventus operam dum dat, ut velum explicent.

Nunc quattuor reliquos locos, in quibus duo illi a Kiesslingio adlati, facile expediemus.

Trin. 387 ss. LY. Nimio citius transiges: firmum omne erit quod tu egeris.
Gravius tuom erit unum verbum ad eam rem quam centum mea.
PHI. Ecce autem in benignitate repperi negotium:
Dabitur opera.
LY. Lepidus vivis.

Cas. III, 5, 63 (numeris incertis), Si ecfexis hoc, soleas tibi dabo et anulum in digito
Aureum et bona pluruma.
PA. Operam dabo.

Men. 1092 ss. Menaechmus II de quaestione, quam vult instituere Messenionem in alterum Menaechmum:

Hercle qui tu me admonuisti recte et habeo gratiam.
Perge operam dare, opsecro hercle, liber esto, si invenis
Hunc meum fratrem esse.

Merc. 620 (quem locum quod Ritschelius alius vel poetae vel recensionis esse iudicat, nihil ad hanc quam agimus quaestionem interest) Eutychus rem suam male gesserat nec quis emisset Pasicompsam compererat:

CH. Dic quis emit?
EVT. Nescio hercle.
CH. Em, istucinest operam dare,
Bonum sodalem?

Tria mihi videor posse ex his exemplis colligere: primum «operam dandi» verbum re, cui detur opera, omissa plerumque non usurpari nisi adiectivo aut adverbio addito; deinde aliquotiens usurpari nullo vocabulo adiecto, sed tum ex antecedentibus facile rem, quam quis dicatur curare, posse desumi; postremum, si absolute occurrat formula, non nisi de iis personis dici quae adsint in scaena: quod vel gravissimum est, quoniam secum fert natura dialogi, ut multo sit brevior et concisior sermo quam in oratione continua.

Quibus de causis, ut tandem ad Truculenti locum redeam, opinor de illa tonstrice, cuius mentionem tantum facit Phronesium, non posse pergi: «Haec dat operam», sed potius veterem illam lectionem, in qua ne Ritschelius quidem (Opusc. II, 654) videtur offendisse, restituendam esse:

haec una opera circuit per familias.

Vix opus erit demonstrare «una opera» quo modo sit intellegendum: nam dubium non est, quin sit referendum ad ea quae Phronesium ante dixerat de ancillis, quas mater «aliam aliorsum ire» iusserat: cum his tonstrix illa «una opera» circuire dicitur. De «una opera» cf. Brix. ad Trin. 578. Lorenz. ad Most. 249.

II, 7, 4.

Nam hóc qui sciám, ne quis íd quaerat éx me.
Domí sunt, quae fácta improbé facit amátor.

Ita Spengelius, quamquam dubitanter, scripsit locum, cuius alteram in adnotatione adfert emendationem:

Domíst qui facít cum probró facta amátor.

Certe multo obscurius dictum est «quae facta amator facit, domi sunt» quam «domi est, qui — fácit», quorum illud omnino intellegi posse negaverim; sed hoc quoque est durum et vix in poeta nostro ferendum genus dicendi.

Quamquam «domi» quin servus per se possit dicere de domo erili, dubitari nequit, siquidem Sosia de se

Amph. 577. domi nunc sum ego,

vel Chrysalus

Bacch. 365. si illi sunt virgae ruri, at mihi tergum domist,
et 887. tibi sist machaera at nobis vervinast domi,

vel Phaniscus de conservis

Most. 874 sq. nam nunc tot domi pessumi nostrae vivont,
peculi sui prodigi, plagigeruli.

Verum hoc loco simplici vocabulo «domi» eum, cuius domus sit, significari non est veri simile; neque ullo modo possunt comparari quae Amph. 1057 narrat Bromia:

ita tanta mira in aedibus sunt facta: vae miserae mihi,

cuius loci mihi primum in mentem venit. Deinde quam sit bene dictum «facta improbe facere», vereor ut possit demonstrari: nam versus a Spengelio citatus

Mil. 734. et minus audacter scelesta facerent facta

nihil aliud evincit nisi cum libris scribendum esse improba facta, non improbe f. Quamquam fateor mihi deesse eius modi locutionis exempla praeter haec:

Bacch. 908. quom haec hic facta ad hunc faciat modum.
Mil. 621 sq. atque ea te facere facinora,
quae istaec aetas fugere facta magis quam sectari solet.

Sequitur aliam medelam esse excogitandam. Versu 4. Cyamus declaraverat se expositurum, qui id quod vv. 1—3 dixisset sciret: iam exspectamus Diniarchi mentionem. Quod si in initio versus codicum scripturam ex litterarum compendio natam statuamus, deinde vocabula transponamus, ita ut creticus tetrameter catalecticus exsistat statim cum insequenti coniungendus, haud scio an sit legendum hoc modo:

Dóminus mist, qui ímproba amatór facit fácta,
Quí bona pro stércore habet, fóras iubet férri.

Quod in B legitur «domis itq;» poterat nasci ex eius

modi scriptura: »dn̄ſmiſtqui». Denique ne de dativo oriatur dubitatio, adferam locum simillimum:

Rud. 969 sq. GR. Dominus huic, ne frustra sis,
Nisi ego nemo natust, hunc qui cepi in venatu meo.

II, 7, 55 sq.

sic in B scripti exstant:

Si equum facias, adventores meos incuses Quorum mihi
dona accepta et grata habeo tuaque ingrataq; Abs te accepi.

quae Spengelius sic recensuit:

Si aequom facias, adventores meos non incuses, quorum mihi
Dona accepta et grata habebo tuaque ingrata quae abs te accepi.

Sed ipse confitetur: «mihi etsi monosyllabum esse potest, sub finem versus aliud exemplum non exstat.» Etiam cetera quae proponit displicent: nam neque «quorum» in fine versus ferri potest, neque discerpere fas est verba hoc exemplo: «accepta Quorum dona et grata habebo». Praeterea, quid sibi vult futurum «habebo»? nam sua dona ingrata habita esse et haberi miles iam viderat II, 6, 54, itaque «habeo» quam sanissimum est. Deinde autem «aliquid sibi gratum vel ingratum habere» nullo alio exemplo probatur; formulae «sibi aliquid habere» plane alia notio inest, ut Amph. 928. Curc. 177. Trin. 266; sine pronomine autem «habere» saepe cum adiectivo componitur. Postremo «tuaque» mihi est valde suspectum; eius generis pleonasmi ne in Plauti quidem uberiore sermone tolerandi sunt: is ad quem provocat Spengelius versus II, 6, 63 tantum habet: «illaec dona, quae ei dono dedi», non quod exspectamus: «mea dona, quae ei dono dedi». Quae omnia fere cadunt etiam in Brixii (l. c. p. 6) coniecturam a Kiesslingio l. c. p. 636 probatam:

Si aequom facias, adventores meos non inconcilies, quorum —

ubi «inconciliandi» verbum per se sane nihil habet offensionis; sed cum in libris legatur «incuses», quod aliquotiens obviam est:

Truc. I, 2, 44. ubi non est scripturam unde dent, incusant publicanos.

ib. I, 2, 58. qui alterum incusat probri.

Merc. 464. At me incusato. (sic solus A.)

Most. 713. te ipse iure optumo merito incuses licet. (Sic Studem. et Lorenz. cum libris.)

quodque hoc loco nemo erit qui neget optime intellegi posse post. vv. 47 ss.: haud scio an alibi corruptela sit quaerenda.

Atque primum in B vestigium subest, alterius versus initium fuisse «Quorum», quod in illo codice Q maiuscula scriptum exstat. Eius vero rei exempla non desunt, ut in vocabulis in initio maiusculis litteris scriptis lateat sana versuum distributio: sic in B Most. 889. 903. Pers. 773. 775. Pseud. 587. Si autem, ut ante faciendum esse demonstravimus, «mihi» delemus et «quorum» ad insequentem versum trahi necesse est, non potest fieri, quin v. 55 aliquid exciderit, quod quidem quale fuerit certo non potest definiri. Per se intellegitur illud quod iam editio princeps inseruit «non» a sensu flagitari itaque esse retinendum. V. autem 56 sine ulla offensione legitur. Itaque nescio an probabilius ad hoc exemplum scribatur versus:

Si aequom facias, adventores meos non [tam proterve] incuses,

Quorum dona accepta et grata habeo, ingrata quae abs te accepi.

Vt accedam ad versus, qui mea sententia aut spurii aut genuini sunt iudicandi, paucos tantum ex iis adferam, quoniam universa quaestio non potest ad liquidum

perduci sine ampliore disputatione, qua exploretur primum, quae fabulae partes non solum scaenae sed etiam singuli versus perierint, deinde sitne haec quoque fabula, quem ad modum in Sticho, Persa, Mercatore demonstravit Ritschelius, diasceuastae cuiusdam manum experta et num quae insint alius generis interpolationes, cuius quidem rei cum aliis locis tum in actus secundi scaena quinta manifesta vestigia deprehendisse mihi videor. His igitur omnibus nunc omissis de singulis quibusdam versibus dicam, qui cum eius modi quaestionibus non cohaerent.

Statim in actus primi scaenae primae initio, in quo sane multa non recte habent, quae nunc data opera omitto, versus 20 certo esse delendus videtur:

Atque est benignus potius quam frugi bonae:

est enim ex iis, qui apud Plautum saepissime occurrunt, confictis scilicet ex uno vel pluribus antecedentium vel sequentium, velut Men. 721 et multi alii. Nam postquam primum mercem annuam commemoravit, deinde — quomodocumque v. 12 legitur — victum cotidianum quem amatori imperat amica, ut eius erga se animum experiatur, optime v. 19 pergit Diniarchus «sei id quod oratur dedit», sed perquam importunus est v. qui sequitur et mera repetitio eorum quae suo loco v. 13 optime conveniebant vocabulorum. Itaque merito damnetur.

Haud minus mihi persuasam habeo versus 49. 50 deberi iis homunculis, qui prologos suis salibus exornaverunt, cuius rei cum alii tum illustre exemplum est Menaechmorum prologus. Primum nego verba «east nimia ratio» esse posse Plautina; nam quod Spengelius rationem idem quod «numerum» significare putat, fallitur: semper apud Plautum computationem numeri cuiusdam («ratio apparet, rationem putare, computare, dispungere, instituere, reddere, oculis capere») significat, quae nullo modo «nimia» dici potest. Deinde in verbis «quippe qui certo scio», quasi audias hominem insulsum et importunum ineptias suas venditantem, ita minime redolet haec locutio

sermonem Plautinum. Tum comparatio ineptissima auctorem prodit, qui e v. 47 suam rem congessit. Denique, quod gravissimum est, v. 51 «quos» admodum durum est, si post «lenones» v. 48 duo intercedunt versus. Qui si delentur, fortasse huic loco facilius medela adfertur, quam quem ad modum Ritschelius fecit Opusc. II, 386; v. 50 quo modo sit emendandus, hic mihi non est quaerendum.

Prorsus eiusdem generis esse mihi videtur II, 3, 7.

> Quin hercle lassus sum iam durando miser,
> mihi quoque prae lassitudine opus est ut lavem,

quo eiecto optime procedit sententia atque omni ineptia liberata. Etiam ad lassitudinem levandam veteres lavisse quivis facile concedet Spengelio, sed tam pueriliter loquentem Diniarchum a poeta inductum esse non possum mihi persuadere.

II, 5, 15. Hic v. deest in B. «Excidit hic versus, inquit Spengelius, in B propter simile initium versus sequentis.» Num haec vera sit causa, valde dubitaverim. Certe nemo diffitebitur post ea, quae Ritschelius disputavit Prolegomenon p. XXVII ss., eius modi inter libros Palatinos discrepantiam multis aliis causis praeter librariorum neglegentiam factam esse: quidni hoc loco B solus liber sit interpolatione, quae ceteros libros invasit? nisi forte multis locis nulla ei est prae reliquis codicibus praestantia.

Verum enim vero praeter codicis auctoritatem totius loci natura vetat hunc versum cum CD intrudere: quo modo enim poeta, postquam vv. 12. 13. de mulieribus bene facientibus dicere incepit, iam subito de malis inicere potest sententiam, ut deinde rursus pergat de bonis? Profecto «copiosior» haec est dictio, quam ut Plautina probari possit. Adde quod verba «nimisque paucae» atque «facere occeperunt» misere sunt petita ex versu

insequenti. Plane igitur cum Kiesslingio consentio, qui ipse quoque l. c. p. 632 hunc versum delendum iudicavit.

Denique dicam de II, 4, 62, quem versum Spengelius, cui adsentit Kiesslingius l. c. p. 631, damnavit: est autem ex eo genere, de quo Ritschelius dixit in dissertatione a. 1846 edita (Parallelstellen im Plautus als Ursache von Glossemen. Opusc. II, 274 ss).

Si autem legitur:

> Ad suom quemque aequomst esse quaestum callidum,

(ita enim facili transpositione, quam puto probatum iri C. F. W. Muellero l. c. p. 510 non amplius de versu dubitanti, videtur emendandus), primum, quod ad sensum attinet, versus nihil habet offensionis: Phronesium a Diniarcho interrogata, num ut militem dolo eludat ita agat puerperam, Quidni? inquit, quoniam sine labore res agi potest. Nam, addit, ad suam quemque aequum est esse callidum utilitatem, velut ego nunc callide sum circumductura militem, ut id quod cupio ex eo exsculpam. Optime haec omnia quadrant. At gravior obiectio est: v. 62. paucis mutatis etiam Asin. 186 legitur. Sed inde secundum ea, quae Ritschelius disputavit, hoc tantum sequitur uno certe loco versum esse spurium; utro loco, ex totius orationis nexu diiudicandum erit. In Truculento versum optime convenire modo demonstravi, in Asinariae loco idem negaverim. Primum enim quae antecedunt pugnant cum eius modi versiculo: Cleaereta amatorem comparat cum pisce, uterque «nequamst nisi recens»: ita omnes eas rationes exponit, quibus novus amator magno cum sumptu totius familiae gratiam sibi conciliare studet:

> Volt placere sese amicae, mihimet volt, volt pedisequae,
> Volt famulis, ancillis volt, et quoque etiam catulo meo:

Subblanditur novos amator, se ut quom videat, gaudeat.

Perinepte, ut nunc vulgatur, lena orationem suam concludit:

Vera dico, ad suom quemque hominem quaestum esse aequomst callidum.

De quonam quaestu loquitur? equidem non intellego; nam de quaestu amatorio ante non erat locuta. Altera vero quae nos movet ratio, ut hoc loco versum deleamus, ea est, quod Argurippus, vetus ille amator, qui omnem rem suam perdidit, tum demum, si versus deletur, respondere potest: «Perdidici istaec (i. e. quam frequentes sint occasiones largiter donandi) esse vera damno cum magno meo»: nam quo modo illum quaestum intellegere potest? His igitur duabus de causis Asinariae potius abiudicandus, Truculento vindicandus videtur versus; adiecta sunt, cum in textum reciperetur, quo expleretur septenarius, «Vera dico» atque «hominem».

IV, 2, 38 ss.

In hoc loco difficillimo haud scio an audacius sim versatus: emendandi certe necessitas adest neque quae prolatae sunt emendationes omnes sufficere possunt.

V. 38 in B ita scriptus exstat:

bene valere siste omittes inea mitto intro atte quidem,

cuius quidem initium, si recte syllabae coniunguntur, facile ita constituitur:

AST. Bene vale.
DI. Resiste.
AST. Omitte.

«Omitte» codices recte servaverunt neque debuit Camerarius mutare in «amitte»; locus simillimus est Pseudoli v. 257, ubi Calidorus adulescens eodem modo Ballionem retinet dicens «Manta», ad quod ille:

«Omitte». Restant emendanda: «s inea mitto intro», ex quibus quin in initio sit eruendum «sine» nemo dubitaverit; etiam in hoc adsentior Spengelio, quod hoc verbum Astaphio tribui posse negat: omnino in eius modi sermonibus quam brevissimus solet festinare poeta. Tum Spengelius scripsit: «Sine, mitte intro», et in adnotatione: «sine Diniarcho dedi quod Astaphio continuabatur. Est autem: sine me intro ire.» Primum recte dictum esse supra demonstravi: alterum nego: vis enim formularum, quae permagna est in Plauto, etiam in voce «sine» absolute posita non est neglegenda; ex iis quae mihi praesto sunt exemplis haec mihi invenisse videor.

Primum ea formula ad eum dicitur, qui aliquam rem curare vetatur: ita Curc. 655:

CV. Sanane es,
Quae isti committas?
PL. Sine modo. (Cf. Ter. Eun. 65.)
Most. 346. PHIL. Quid ego hoc faciam postea, mea?
DEL. Sic sine eumpse
Cas. III, 2, 14. vin vocem?
CL. Sine. nolo, si occupatast.
Bacch. 417 sq. iam aderit tempus, quom sese etiam ipse oderit. morem geras:
dum caveatur praeter aequom ne quid delinquat, sine.
ib. 1125 sq. PH. Vt videntur
deridere nos.:
NI. Sine suo usque arbitratu.
ib. 1187. Minume, nolo: nil moro: sine sic. malo illos ulcisci ambo.
Most. 1097 sq. TH. Ne occupassis opsecro aram.
TR. Cur?
TH. Scies:
quia enim id maxume volo, ut illic istoc confugiant. sine.
Merc. 449. CH. Non ego illam mancupio accepi.
DE. Sed ille
illam accipiet: sine.
Pers. 686 ss. SA. Ne non satis esses leno, id metuebas miser,

inpure, avare, ne crumillam amitteres?
TO. Sine quaeso: quando lenost, nil mirum facit.
Curc. 92. PA. Profundis vinum: quae te res agitant?
PH. Sine.

Eodem pertinet formula «Sic sine» praeter Most. 346 (v. supra) etiam Men. 351. Pseud. 1301 obvia. Denique, ut facile derivari potest, ea formula minitantium est: Aul. III, 2, 11. Bacch. 811. Truc. II, 8, 6. cf. Cas. II, 8, 1.

Iam ex omnibus his exemplis — duo nunc consulto omitto — satis prodit formulae «sine» absolute positae certum quendam inesse sensum, neque eo de quo dicimus loco sine infinitivo vel coniunctivo, (quae est aeque usitata constructio apud Plautum), dici posse «sine». Nam non vereor, ne quis mihi obiciat locum huius fabulae

IV, 4, 37. Sine eumpse adire huc: sine, si is est, modo,

ubi facile suppletur infinitivus ex antecedentibus. At, inquit, unus est locus, quem praetermisisti:

Stich. 94 Pamphila patri pulvinum datura «mane», inquit, «pulvinum»; et ille: «Bene procuras mihi: sat sic fultumst mihi»; tum filia «Sine, pater». Nonne hoc loco eodem quo vult Spengelius sensu usurpatur simplex imperativus? Tamen res alia est: in Stichi loco imperativo absolute posito minime offendor, propterea quod ex Antiphonis verbis nemini non liquet, quid sinere iubeatur. Sed hoc loco quid ex antecedentibus est desumendum? Dixerat Diniarchus: «Resiste» — et nil amplius. Verum si quis putarit idem esse, si praecedat, idem, si sequatur quo sit referendum «sine», hic autem sequi «mitte intro»: ei respondeo, tum non imperativo sed infinitivo opus esse. Atque hoc ipsum est quod volo, ut scribatur

sine me ire intro:

certe minus facili mutatione quam qua usus est Spengelius, sed quae magis conveniat consuetudini Plautinae.

Versum 39 ita restituit Spengelius:

DIN. Immo istoc ad vos sine ire.
AST. Non potest.
DIN. Immo potest.

Iam ad id quod ante dixi revertor: in eius modi diverbiis quam maxima brevitate opus esse: valde autem tum languet illud «immo istoc ad vos sine ire», in quo cur repetatur «sine ire» non video. Hoc igitur primum teneo Diniarchi sola haec verba esse: «Immo istoc ad vos.» Deinde in B sequitur irē, in quo latere debet Astaphii responsum: quod admodum esse mutilatum apparet, ideoque emendatio incerta est; fortasse olim fuit: «nugaris». Iam sequatur necesse est simplex Diniarchi quaestio, de qua non dubito: «non potest?» De usu impersonali verbi «potest» cf. Brix. ad Capt. 445. et Most. 396. Bacch. 559. Caecil. Androgyn. fr. I Ribb. «ita ut solet.» Quae ad ea responderit Astaphium, non admodum certum est: facillima autem mutatione e codicum scriptura «nimiū pati» eruitur «nimium petis». Ne quis hoc putet in ore Astaphii Diniarchum a se abigentis nimis esse languidum: immo moribus eius optime convenit, ut non convicia congerat in adulescentem, sed tergiversando facete eum eludat.

Versum 40 editor ita scripsit:

Sine experiri.
AST. Immo opperire: vis est experirier.

Vt de numeris taceam, de quibus est longior quaestio (cf. C. F. W. Mueller. l. c. p. 315.), quo spectant verba «vis est experirier»? Nihil de iis adnotavit Spengelius; sed nihil aliud significare possunt, nisi «violentum sit, si experiendi causa in Phronesii domum inrumpere velis»: ita iam Pareus: «operire potius: nam si experiare, vim facies. Ego potius intus visam: et si illi otium est, ad te renuntiabo.» De extremis huius interpretationis verbis post dicam: sed quis ita intellegit illud «vis est ex-

peririer»? longe alia res est Capt. 750, ad quem locum interpretes iam attulerunt morientis Caesaris verba; illic legitur: «vis haec quidem hercle est, et trahi et trudi semul»; nam «vis» optime explicatur infinitivis qui sequuntur. In B versus ita legitur:

Experiri sinē immō opperirē uisē experire,

in quo primum iniuria Bothium in initio verba transposuisse puto: nam rectissime in initio cum vi quadam legitur «experiri», quo efficitur etiam, ut Astaphii iocus magis appareat. Maxima difficultas est in verbis «uisē experire», quae quidem qualia leguntur, sana esse non possunt: mihi in mentem venit in initio latere comparativum «melius», cuius fortasse supra in immō tenue est servatum vestigium, vel «satius»; («melius» iam coniecisse Lambinum post inveni.) Saepius autem usurpantur hi comparativi cum infinitivo coniuncti: Asin. 675 «illum te orarest melius.» Amph. 176. Bacch. 150. 395. alias. Id si verum conieci, quam maxime conformatus ad traditam scripturam versus ita scribi possit, sed tantum si concesseris «experiri» primam syllabam corripere posse:

Sine experiri.
AST. Immo opperiri meliust quam experirier.

Sed liberius grassari audeo: nihil enim in Palatinis frequentius, quam ut vocabula repetantur: ita facile «experire» ex versus initio repeti poterat: post «sine» autem (codices sinē) facile propter insequens «immo» excidere poterat «modo»; quod si reponimus, cum aliqua veri specie versus ita erit legendus:

Experiri sine modo.
AST. Immo meliust opperirier.

Magis in incerto est, quo modo versus 41 sit emendandus: quem cum constituerit Spengelius sic:

Dic me adesse.
AST. Abi, occupatast; res itast, ne frustra sis,

non in eo haereo, quod finem versus ita emendaverit, sed in personarum discriptione. Per se sane dici potest: «res itast, ne frustra sis.» Formulam «ne frustra sis» — ut de ceteris eius locutionis exemplis taceam — fere semper Plautus ita usurpat, ut in enuntiato, a quo aptum est «ne frustra sis», futuro tempore utatur:

Capt. 854. nec multo plus tu hic edes, ne frustra sis.
Men. 692. ne frustra sis, pedem intro non feres.
Pers. 140. numquam hercle, ne sis frustra, tu hodie hic prius edes.
Rud. 1255. ego tibi daturus nil sum, ne tu frustra sis.

Duobus tantum locis praesens legitur:

Merc. 528. nunc mulier, nei frustra sies, mea non es, ne arbitrere.
Rud. 969. Dominus huic, ne frustra sis, nisi ego, nemo natust.

quam ob rem Spengelii «res itast» sane ferri potest, praesertim cum e tradita scriptura transpositione facillima nascatur. Sed personarum distributione offendor: «res ita est» enim alteri respondemus, ut confirmemus aut ea, quae ipse dixerit, aut quae nos diximus et de quibus ille dubitet. Ita languidissima fit oratio, si post brevem illum imperativum «abi, occupatast» ancilla pergit «res itast, ne frustra sis.» Deinde in initio versus cum legatur in Palatinis «dicam adesse», non est dubium quin recte emendaverit Spengelius: «dic me adesse». Sequitur in libris «ubi occupatast». Iam si verum est verba «abi, occupatast; res itast, ne frustra sis», si omnia Astaphio tribuantur, non recte dici; si verum est verba «res itast, ne frustra sis» solam in Astaphium quadrare, sequitur «ubi occupatast» Diniarchi esse; corrigendum autem erit: «dic me adesse, si occupatast», collato Cas. III, 2, 14: «Vin vocem? CL. sine, nolo, si occupatast»; nam «ubi» retinere non audeo, siquidem loci quales Aul. II, 2, 7: «Non temerariumst ubi dives blande appellat pauperem,» non prorsus eiusdem generis sunt. Tum Astaphium ad ea verba respiciens cum irrisione respondet: «res itast, ne frustra sis.»

Verum non est diffitendum hac quoque lectione recepta languidulam fieri orationem; sed ex tradita scriptura nihil aliud elicere potui: nam quae Geppertus voluit «restare enim frustra siet», et C. F. W. Muellerus (l. c. p. 13) «restare hic frustra sit», ea vero frigore nescio quo laborant neque alacri vigori dialogi Plautini ullo modo conveniunt. Qua re in praesentia, dum melior emendatio inveniatur, malim scribere: «intro abeo, ne frustra sis»: quod quidem cum totius diverbii argumento cohaeret.

Versum 42 recte a Spengelio Camerario Goelleroque ducibus emendatum puto: et recte ille ad «redin» adnotat: «quia Astaphium iam intro ire parat».

Versu 43 nova oritur crux: apud Spengelium legitur:

DIN. Vno verbo eloquere: mittin me intro?
AST. Mendax es, abi:
Vnum aiebas: tria iam dixti verba atque ea mendacia.

Sed, quaeso, quid hoc est? «unum aiebas, tria iam dixti»? et quae haec est interpretatio: «tria enim verba dixerat: mittin me intro, et tria respondere debet: mitto te intro.» Itane? immo unum respondere debet: «mitto», vel «plane» vel «licet» vel tale quid. Hoc quidem certum putaverim, si Diniarchus dicat: «uno verbo eloquere», nullo modo posse Astaphium de iis quae sibi ipsi dicenda sint verbis pergere: «tria iam dixti verba». Vix opus est monitu ne id quidem quod facile possit conici «eloquere: mitto te intro» et propter notionem, quae inest eloquendi verbo, et quod minime eleganter dictum esset, ferri posse. Hoc quoque non minus apertum est: aut Diniarchum debere proferre id unum verbum, quod Astaphium eloqui iubet, aut ei ipsi esse profitendum se unum verbum dicturum.

Iam Diniarchi verba paullisper omittamus: Astaphii responsum non dubito quin rectissime iam emendarit Camerarius, neque scribendum puto «unum aibas: tria

iam dixisti» (quamquam «aibas» saepe in codicibus mutatum est velut Men. 633 in Ba), sed «unum aiebas: tria iam dixti», quoniam in B legitur «dixit». Ex C. F. W. Muelleri libro Nachtraege zur Pl. Prosod. pag. 23 intellexi O. Seyffertum Philologi, quem non ad manum habui, vol. XXVII p. 469 sq. ita scribi velle:

Vnum aibas, tria dixti verba. ferre haud queo mendacia,

quod quantum recedat a tradita scriptura quivis videt: deinde «atque ea mendacia» recte dictum esse arguit hoc exemplum, quod adfert Aemilius Ballas (Grammat. Plautin. specim. I. Gryph. 1867 p. 37):

Amph. 742. Iterum iam hic in me inclementer dicit atque id sine malo.

denique, si recte intellego poetam, primum mendax appellatur Diniarchus, quod non unum verbum, sed tria dixerit, tum ea verba mendacia vocantur, quod rem significant, quam Astaphium numquam est adulescenti concessura. Quam frigida autem illa sententia: «ferre haud queo mendacia»!

Hoc igitur Astaphii responsum si obiter tantum adspexeris: «mendax es; abi: 'unum aiebas: tria iam dixti verba», statim ita concluseris: mendax est, qui quod promisit non praestitit: Diniarchus tria verba dixit et mendax appellatur — ergo ante se promiserat unum tantum dicturum. Aliter concludi vix potest: quam artificiosa et contorta interpretatio exsistat, si de eo responso, quod Diniarchus exspectat, cogitandum sit, supra in Spengelii adnotatione demonstravi. Mea igitur conclusio si vera est, quaeritur, quae sana sint, quae corrupta in Diniarchi verbis, qualia in libris leguntur: tria illa verba, quae dixit Diniarchus, adsunt, si facili emendatione in Palatinorum scriptura usi pro «mitti in me» reposuerimus «mittin me». Cetera vero quo spectant: «uno verbo eloquere»? Ex antecedentibus opinor patet hunc imperativum minime in Diniarchum convenire;

qua re Lambinus scripsit: «uno verbo eloquar: mittin me intro?» in quo cum metrum claudicat, tum non est perspicuum, cur hac formula utatur Diniarchus, quae quin in interrogationibus non sit apta, vix est dubium. In editione, quam in usum Delphini curavit I. Operarius, ita scriptum est: «Vno verbo! A. eloquere. D. mittin me intro?» Sed ut hoc sit latine dictum «uno verbo!» valde vereor, quamvis sit sensui conveniens. Hae igitur emendationes cum non possint ferri, certe constat de his:

1. de iis quae ante exposui de Astaphii responso;
2. quaestionem «mittin me intro?» Diniarchi esse;
3. «eloquere» Diniarchi nullo modo esse posse; quod quidem vel prodit ex poetae consuetudine in usurpando hoc verbo; simplex imperativus exspectantium est, quid alter sit dicturus:

Cas. V, 2, 28. E l o q u e r e.
OL. At pudet.
Rud. 947. e l o q u e r e, quid id est.
Most. 472. e l o q u e r e, quid ita?
Rud. 1323. e l o q u e r e propere celeriter.
Stich. 334. Mein fastidis, propudiose? e l o q u e r e propere Pinacium.
Rud. 1329. e l o q u e r e quantum postules.
Pers. 664. quid id est ergo? e l o q u e r e actutum atque indica.
Cas. II, 4, 2. E l o q u e r e, quid velis.
Cas. III, 5, 14. quidquid est,
e l o q u e r e mihi cito.
Aul. IV, 4, 12. e l o q u e r e, quidquid est.
Cist. I, 1, 58. e l o q u e r e utrumque nobis
et quid tibi est et quid velis nostram operam.
ib. IV, 2, 82. E l o q u e r e, unde haec sunt tibi cito crepundia.
Cf. Aul. II, 1, 48. EVN. Dic mihi; quaeso, quis ea est, quam vis ducere uxorem.
ME. E l o q u a r.

Epidici I, 1, 38, ubi Palatini Pareo teste habent «loquere ipse ubist Stratippocles» recte iam emendavit Rich. Mueller (De Pl. Epid. Bonn. 1865 p. 32) in hunc modum: «E l o q u e r e, ubist Stratippocles.»

Ita semper e. g. optime dicere possis: Quis istic est? eloquere: sed numquam: Isticine est Gaius? eloquere. Idcirco Diniarchus non potest dicere «eloquere», quod simplex «aio» aut «nego» exspectat, sed Astaphium dicit. Si autem Diniarchum «eloqui» iubet, necesse est in antecedentibus fuisse, quid eum eloqui velit. Fuitne hoc igitur in «uno verbo», an fieri nequit? Primo adspectu coniecerit quis versum periisse et hoc exemplo orationem esse redintegrandam:

DIN. [Heus Astaphium, per te deos oro opsecroque hoc audias]
Vnum verbum.
AST. Eloquere.

Nam languidius diceret Astaphium: «uno verbo eloquere.» Verum non videtur opus esse ad lacunae suspicionem confugere; quidni multo facilius sic scribi possit:

DIN. Vnum verbum —
AST. Eloquere —

ita ut Astaphium festinans eius orationem interrumpat? Verum ut aliquando emergamus ex disputationis ambagibus, locum quem ad modum quamquam plus semel dubitanti mihi scribere libeat infra ponam:

38. AST. Bene vale.
DIN. Resiste.
AST. Omitte.
DIN. Sine [me ire intro].
AST. Ad te quidem.
DIN. Immo istoc ad vos.
AST. [Nugaris.]
DIN. Non potest?
AST. Nimium [petis].
DIN. Experiri sine modo —
AST. Immo [meliust] opperirier.
DIN. Dic me adesse, si occupatast.
AST. [Intro abeo], ne frustra sis.

DIN. Redin an non redis?
AST. Vocat me, quae in me plus quam tu potest.
DIN. Vnum verbum —
AST. Eloquere.
DIN. Mittin me intro?
AST. Mendax es: abi:
Vnum aiebas: tria iam dixti verba atque ea mendacia.

Ita si non sine omni veri specie legitur, etiam optime procedit actio. Ratio enim totius diverbii haec est: Astaphium cum abire parans dicit: «Bene vale», Diniarchus eam retinet: «Resiste» — at illa: «Omitte», et intro ire ut liceat orantem facete deridet: «Ad te quidem». Ille non deterritus: «Immo istoc ad vos», at serva iterum deridens: «Nugaris», et ubi magis instat ille: «Non potest?» semper ludens non prorsus negat, sed tantum ait: «Nimium petis». Iam Diniarchus periculum facere vult: «Experiri sine modo», et illa rursus eum verbo ipso deridens: «Immo meliust opperirier.» Hoc opperiendi vocabulum exiguam ei spem ostendit et Phronesio nuntiare iubet se adesse: illa vero ad ianuam progressa: «Intro abeo, ne frustra sis»: ex extremis verbis se ludificari sentit; tamen sperat eam se intro vocaturam: «Redin an non redis?» Astaphium ianua iam aperta non respondet ad eius verba, sed se a Phronesio vocari dicit. Adulescenti vero nunc subolet tota res et ad primam orationem (v. 38) redit: unum hoc quaerere vult: «Mittin me intro?» tum illa argute eius verba interpretata mendacem esse contendit et abscedere iubet, itaque egregiam colloquii finiendi occasionem nanciscitur. Omnis vero comica huius scaenae vis, ut saepissime apud Plautum, ita mihi videtur effici, ut callidissima et pessima ancilla numquam ad Diniarchi verba respondeat, sed semper iocose rem deflectat et detorqueat, donec mendacio, ut ait, obstrictum abigere et excludere possit.

———

IV, 4, 21 ss.

V. 21 in codicibus ita est scriptus: «Triduum hoc saltem dum aliquo miles circumducitur.» Vt metrum restitueret Bothius transposuit: «miles aliquo». De vocabuli «aliquo» significatione nihil exposuit Spengelius: si recte novi Plautinam consuetudinem, nihil aliud est nisi: «aliqua pecunia defraudatur». At enim parum apta sunt ea verba in ore Phronesii, avarissimae feminae, «aliquo» se militem circumducturam profitentis, et longe aliter Most. 174 Philolaches ait:

Hercle ego ob hoc verbum te, Scapha, donabo hodie aliqui [merito].

«probe, pulcre, lepide, auro, mille drachumis» illa dicet, sed non «aliquo»! Qua re «aliquo» non dubito quin sit corruptum; neque difficile esse inventu puto, ex quo vocabulo sit corruptum: quid si hoc modo factum est:

ARGENTO
ALIQ V O?

Simplex vero «argento» saepius apud Plautum cum «circumducendi» verbo coniungi arguunt hi loci:

Pseud. 431. filium te velle amantem argento circumducere.
ib. 634. Quasi tu dicas me te velle argento circumducere.
Cf. Poen. V, 5, 8. mina quem argenti circumduceret.
Bacch. 311. si med illo auro tanto circumduxerit.
Trin. 959. si hunc possum illo mille nummum Philippum circumducere.

Ita si hoc quoque loco scribimus, ea quoque quam Bothius protulit transpositione supersedere possumus.

V. 24 Geppertum secutus Spengelius ita scripsit:

Factum cupio, nam aliter facere si velim, non est locus;

«aliter» in adnotatione explicat: «aliter facere negare». Phronesium in antecedentibus petiverat a Diniarcho, ut puerum per triduum saltem sibi committeret: nunc ille, ut Spengelii scriptura est explicanda,

«factum cupio, nam etiamsi tibi negare vellem, non possem.» Facile concedo particulae «si» notionem concessivam inesse posse — quamquam non idem valet quod «etsi» — sed primum, quo modo „aliter facere“ significare potest «negare?» Neque locum Plautinum attulit Spengelius ad eam significationem comprobandam. Deinde illud «non est locus» Spengelius nullo verbo interpretatus est: hac quidem verborum coniunctione nihil aliud significare potest nisi «non est occasio apta, per tempus mihi non licet.» Sed et eius significationis exempla plane desunt: «loco meo, loco suo», «loco» simplex apud Plautum occurrit, sed non «locus est». Tertium accedit: quidnam Diniarchus factum cupit? nempe id, quod Phronesium versu antecedenti dixerat: «si aufers puerum, a milite omnis spes animam efflaverit.» At prorsus contrarium ei dicendum esse nemo non videt.

Itaque ut primum ad librorum scripturam recedamus, v. 23 in codicibus «auferes» et «tum mihi omnis», v. 24 pro «nam aliter» «nāre» legitur, ita ut versum 24 corruptum esse pateat. Iam de sanis proficiscendum: quo sensu illud «non est locus» est accipiendum? mihi videtur alio modo fieri non posse, totius sermonis natura, in primis Phronesii quae sequitur oratione recte perpensa, nisi ut de domo Phronesii loquatur Diniarchus, ubi interdum, «si domi metuet malum», requiescat: loquitur igitur de amoris aliquo deverticulo. Haec si vera sunt, si deinde Diniarchus tantum de grata re «factum cupio» dicere potest, statim sequitur, ea quae antecedant de eius modi occasione amandi dicta esse. Eam autem v. 23 non contineri supra demonstravimus. Difficultatem facile removebimus, si ante v. 24 non v. 23, sed 22 collocaverimus: «factum cupio» tum dicit Diniarchus, i. e. ut mihi quoque prosis, si tu, ut animus tibi est, militem eluseris.

Restat illa sententia condicionalis «nāre facere si velim». Ex iis, quae adhuc disputata sunt, apparet de

amore Phronesii etiam in matrimonio continuato sermonem esse: «nam» removeri non potest, atque in «re» vocabulum quaerendum est, quo «facere» accuratius definiatur: iam possit conici: «rem facere», quod quidem interdum ea qua hic opus est notione usurpatur: sed dubito num hoc loco recte intellegi possit. Qua re malim restituere «male facere»; comparandum est quod iam ipse Diniarchus dixit IV, 2, 61 «malefacta antiqua mea». Poen. III, 3, 45 «ubi nequam faciat», i. e. ut mox sequitur «potare, amare volt.» Rud. 462 «satin nequam sum, utpote qui hodie amare inceperim»? Similis «malitia» est Epidici, quamquam in alia re, III, 2, 42: «Nimis doctus ille est ad male faciendum.» Neque ea locutio a nostra dicendi ratione abhorret.

Tantum superest, ut codices secuti futurum «auferes» contra Bothium servemus, quo temporum tueamur concinnitatem, deinde ut retineamus pronomen «mihi», eiciamus verba «a milite», quae facile ex v. 21 inrepere poterant neque hoc loco sunt necessaria, postremo ut transponamus «mihi omnis tum spes»; «tum» supervacaneum esse mihi non persuasit C. F. W. Muellerus l. c. p. 226, neque magis v. 22 «in meam rem si quid habebo» ferri non posse.

Conferendus est autem Persae locus:

637 sq. Omne ego pro nihilo esse duco, quod fuit: quando fuit.
Tamquam hominem, quando animam ecflavit, quid eum quaeras qui fuit?

Totus igitur locus, si recte egimus, probabilius sic erit scribendus:

PHR. In rem meam:
21. Triduom hoc saltem, dum argento miles circumducitur:
23. Si auferes puerum, mihi omnis tum spes animam ecflaverit.

22. In meam rem si quid habebo, tibi quoque etiam proderit.

24. DIN. Factum cupio: nam male facere si velim, non est locus.

i. e. cupio, ut fraude in militem mea ope perpetrata mihi conservetur benevolentia tua, nam alioquin non habeo, ubi amare et genio indulgere possim. Hac quidem ratione haud scio an probabilius locum emendaverim quam Kiesslingius l. c. p. 640, qui vult: «nam nefacere si velim»: nam id verbum, de quo nulla grammaticorum adfert testimonia, hoc loco inferre audacius duxerim: Pseudoli quidem versiculo (437 «vel tu ne faceres tale in adulescentia»), nisi omnia me fallunt, abusus est vir doctus ad coniecturam illam quidem ingeniosam, sed parum probabilem confirmandam.

Locorum qui tractantur conspectus.